(8

IN TABVLAS

RELIQVAS EVGVBINAS, ROMANIS
EXARATAS CHARACTERIBVS

EXERCITATIONES

RAYMVNDI GVARINII.

NEAPOLI
TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE
1845.

IN FRAGMETVM COL. I. TAB. VI.

EXERCITATIO VIII.

Hasce Tabularum Eugubinarum reliquias, ut a Lanzio nostro referuntur, fideliter exceptas, denique exponendas aggredimur, quo nihil spartae huic desit, quam, quo nescio fato, colendam pro viribus suscepimus. Qua in re si quis fortasse arbitretur, laborem hunc ideo nobis constitisse minus, quod fragmenta haec omnia romanis incedunt exarata characteribus, hic profecto oppido fallitur. Assuetis quippe Etruscorum alphabeto, hoc in primis conferendum fuit cum fragmentis, quae romanis supersunt insculpta characteribus, literam V substituendo literae O, qua illi carebant. Sed hoc leviusculum. Fragmentorum, de quibus nunc agendum, dialectus non solum alia est a dialectis Tabularum praeceden-

tium, ut est a Lanzio observatum, sed e duabus veluti coalita est dialectis, veterum videlicet Latinorum, et Laconum, quorum imitatione, abundat rhotacismus. Passim quoque in vocibus sese insinuat sibilus, quae duae literae nisi accurate a vocibus bene multis extrudantur, frustra eris, ut ab iisdem quidquam ad rem tuam expectes. Sed nolo in his nimius esse ante tempus, de quibus non dubito fore, quin et ipse per se lector pro re nata facile sit iudicaturus. Unum addo, quod minime praetereundum censeo. Vocum, de quibus hactenus sermo est habitus, si quando in reliquis hisce fragmentis occurrunt, vix nucleum leviter veluti adumbratum videas, quod mihi non semel, nec sine risu, in mentem revocarunt illa vulgi nostri: *tu nosta e bosta procceda* - *tu nos ab hoste protege*. Et *regina santo demonio* pro *regina sanctorum omnium*. Hoc nempe fatum, ea conditio est idiomatum primaevorum omnium, Grammaticorum legibus nondum subactorum. Quandoquidem illis hae accedunt, non praecedunt.

Fragmentum Tab. VI. de quo sumus acturi, Lanzius habet pro paraphrasi Tabulae IV. Est autem huiusmodi ut a Lanzio refertur:

19. *Vasor. verisco. treblanier. porsi. ocrer. 20. pehaner. paca. ostensendi. Eo. iso. ostendu. pusi. pir. pureto. Cehesi. dia. surur. verisco. tesonocir. surur. 21. verisco. vehier. 22. pre. verier. treblanier. Juve. Grabovei. buf. treif. fetu. Eso. naratu. Vesteis. teio. subocav. suboco. 23. Dei. Grabovi. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Erer. nomneper. Erar. nomneper. Fossei. pacersei. verefisei. 24. tote. Iiovine. Erer. nomne. Erar. nomne. arsie. Tio. subocav. suboco. Di. Grabove. Arsier. frite. tio. subocav. 25. suboco. Dei. Grabovie. tio. esu. bue. peracripihaclu. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Irer. nomneper. 26. Erar. nomneper. Dei. Grabovie. Orer. ose. persei. ocrefisie. Pir. orto. est. toteme. Iiovinae. Arsmor. dersecor. 27. subator. sent. pusei. neip. eritu. Dei. Grabovie. persei. tuer. Perscler. vaseto. est. pesetomest. peretomest. 28. frosetomest. daetomest. Tuer. perscler. Virseto. avirseto. vas. est. Di. Grabovie. persei. mersei. Esu. bue. 29. peracrei. pihaclu. Pihafei. Di. Grabovie. Pihatu. ocre. fisiu. Pihatu. tota. Iiovina. Di. Grabovie. Pihatu. ocrer. 30. fisier. totar. Iiovinar. nome. nerf. Arsmo. veiro. pequo. castruo. fri. Pihatu. fu-*

tu. Fos. pacer. pase. tua. ocrefisi. 31. *tote. Iiovine. Erer. nomne. Erar. nomne. Di.* 32. *Grabovie. salvo. seritu, ocre. fisi. Salvo. sevitu. ocre. fisier. totar. Iiovinar. nome. nerf. Arsmo. pequo. castruo. fri. Salva.* 33. *seritu. futu. fos. pacer. pase. tua. ocrefise. tote. Iiovine. Erer. nomne. Erar. nomne. Di. Grabovie. tio. Esu. bue.* 34. *peracrei. pihaclu. ocreper. fisiu. totaper. Iiovina. Erer. nomneper. Erar. nomneper. Di. Grabovie. tio. Subocav.* 35. *Di. Grabovie. tio. esuperacrei. Pihaculetur. ocreper. fisiu. totaper. Iiovina.*

Desiderantur versus decem.

45. *Di. Grabovie. tiom. esu. bue. peracrei. Pihaclu. tertiu. ocriper. fisiu.*

Desunt alii versus septem.

53. *Di. Grabovie. tiom. Esu. bue. peracri. pihaclu. tertiu. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina.* 54. *Erer. nomneper. Erar. nomneper. Di. Grabovie. tio. Comohota. tribrisine. buo. perracnio. pihaclo.* 55. *ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Erer. nomneper. Erar. nomneper. Di*

Gabrovie. tiom. subocav. Tases persnimu. 56. *sevom. surur. pudrovitu. Proseseto. naratu. Prosesetir. mefa. spefa. Ficla. arsveitu. Ar-vio. fetu. este.* 57. *Esono. heri. vinu. heri. poni. fetu. Vatuo. ferine. fetu.* 58. *Post. ve-rir. treblanier. si. comia. trif. fetu. trebo. Io-viae. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Persae. fetu. arvio. setu.* 59. *Pone. fetu. Tases. pers-nimu. surur. naratu. Puusepre. verir. trebla-nir. Prosesetir. strubla. Ficla. arsveitu.*

Haec ita Lanzius paraphrasten libentius, quam interpretem agens.

19. Promissi. verres. trini *fort.* (*sic. dehinc.*) adolendi sunt ea ipsa h. e. (*una eademque*) ustione. Ubi ignis lustratus est, facito iuxta superius dicta verres decenos, iuxta superius dicta verres decenos, iuxta superius dicta verres vicenos. ante verres trinos immolandos Iovi. Grabovio tribus bubus facito. . . . . (Praefamino) Macte hocce honore esto. Invoco Iovem Grabovium in sacrificio pro tota Iovina (*gente*) eorum nomine (*uti tu*) volens sies, propitius sies sacrificio totius Iovinae gentis. Eorum nomine, earum nomine incende (*dicito*) macte hoc ho-

nore esto. Invoco Iovem Grabovium. Accensione facta (dicito). Macte hoc honore esto. 25. Invoco Iovem Grabovium. Iupit. Grabovi macte esto eximio bove piaculo sacrificio pro tota Iovina gente, eorum nomine, earum nomine. Iupiter Grabovi, huius rei ergo, quoniam ad sacrificium ignis ortus est toti Iovinae : armi desecti subactique sint, tamquam sacrificio uno. Iupiter Grabovi, prout pesclos mactare factum est. positum. est. dictum. est. intellectum est. sensum est. mactare pesclos . . . . fas iusque est. Iupiter Grabovi. dissecto eximio bove piaculo piatus esto. Iupiter Grabovi piamine (*huius*) sacrificii expiato totam Iovinam. Iupiter Grabovi piamine 3o. sacrificiorum totius Iovinae nominibus f. agrum virûm pecus oppido expiato fiasque volens propitius pace tua sacrificio totius Iovinae gentis. eorum nomine. earum nomine. Iupiter Grabovi. salvo satu sacrificii. satum sospita toti Iovinae. Iupiter Grabovi. salvo satu sacrificiorum totius Iovinae nominibus, *f.* arvum virûm pecudum oppido satum sospita, fiasque volens propitius sacrificio totius Iovinae gentis eorum nomine, earum nomine. Iupiter Grabovi, macte, macte hoc honore esto.

45. Iupiter Grabovi macte esto eximio bove piaculo tertio. sacrificio pro tota Iovina gente.

53. Jupiter Grabovi macte esto eximio bove piaculo tertio. sacrificio pro tota Iovina gente eorum nomine, earum nomine. Iupiter Grabovi macte admota tribuli victima, macte bove annuo piaculo sacrificio pro tota Iovina gente. eorum. nomine. earum. nomine. Iupiter Grabovi macte hoc honore esto. Prosecta e *persnimo*. Sevum super oblationem. Prosicies (*datur*) quae rite nuncupata fuit. Prosecari oportet femora assa. viscera. adipes viscerum. (*Item*) arvina fiat simul vino sacro. pane sacro fiat. Pulte farracea fiat. Post verres *fort*. trinos immolatos. Scrofis incientibus tribus facito Tribui Iovinae sacrificium pro tota Iovina (*tribu*). Praeterea facito arvina. 59. pane facito. prosectis e persnimo (*uti*) superius expositum, uti ante verres *fort*. trinos. immolandos. Prosecari oportet. strebula. viscera. adipes. viscerum.

Hactenus Lanzius, quocum nobis ita de more nostro res transingenda videtur.

Facito porculis tribus pro supremo piaculo. Leniter urendi. Bene esto. Urantur pusillum igne puro.

Scindatur utraque sura porculi semicocti. Suras porculi locato ante porculos tres. Iovi Grabovio bobus tribus facito his verbis. His facio invocando invocans, Iupiter Grabovi, pro sacro supremo totius Iovinae.

Sacerdos nominandus, Antistita nominanda, ignem accendant. Honorem habent, invocando invocantes, Deo Grabovio.

Accensione absoluta, honorem habeat, invocando invocans, Deo Grabovio. Faciat bove annuo piaculum pro sacro supremo totius Iovinae.

Sacerdos nominandus, Sacerdos nominanda, Deo Grabovio adoleant, uti pro suo sacro supremo. Ignis sollemnis esto totius Iovinae.

Armi dissecentur, paullumque subacti, non perusti, Iovi Grabovio in sui honorem sunto. Pesclo fiat. Caedatur. Subdividatur. Sedulo faxis. Ad epulandum afferatur. Pesclum immola-

tum sursum deorsum, ut fas est, agito Deo Grabovio pro sua parte. Fiat bove sollemne piaculum. Piaculum fiat Iovi Grabovio. Piaculum supremum esto. Pictur tota Iovina Iovi Grabovio. Piaculum sollemne esto omnium Iovinarum nominibus. Armo ovis maris castrati fiat. Piaculo facto (*dic*): esto volens propitius, pace tua, sacrificio totius Iovinae, (*dicant*) nomine suo Sacerdos, Antistita Deo Grabovio.

Pro satorum incolumitate sacrum sollemne. Pro frugibus salvis sacrum omnium Iovinarum nominibus.

Armo ovis maris castrati fiat. Pro salvis frugibus esto volens propitius, pace tua, sacro totius Iovinae (*dicant*) nominibus suis Sacerdos, Antistita Deo Gabrovio. Facito bove sollemni piaculum, sacrum supremum pro tota Iovina.

Sacerdos nominandus, Antistita nominanda Iovem Grabovium honorent invocando. Iovi Grabovio fiat bove sollemni piaculum supremum. Esto volens propitius, pace tua, sacro totius Iovinae (dicant) nomibus suis Sacerdos, Antistita Deo Gabrovio. Facito bove sollemni piaculum,. sacrum pro tota Iovina.

Sacerdos nominandus, Antistita nominanda,

Iovem Grabovium honorent invocando. Iovi Grabovio fiat bove sollémni. Piaculum supremum esto pro tota Iovino.

. . . .

. . . . — 10.

Deo Gabrovio fiat bove annuo piaculum tertium.

. . . . — 7.

Deo Gabrovio facito bove annuo. Piaculum tertium pro sacro totius Iovinae.

Sacerdos, Antistita, nomine quisque suo. Iovem Gabrovium honoret, commoto ter bove annuo piaculari, sacro supremo pro tota Iovina. Sacerdos, Antistita nominandi Deum Grabovium honorent invocando.

Postidea: persnimi sebum, suras porrigito. Concidito haec in partes. Prosecato media femora. Exta adponito. Larido fiat Esuno, sacro vino, sacro pane. Facito pulte farrea. Facito post porculos tres, tribus subus incientibus. Esto tribui Iovinae sollemne sacrum pro tota Iovina. Praeterea: facito larido annuo. Pane facito.

Ad haec: pernas, suras dictas porrigito. Tres porculos prosecato. Coxas, exta afferto.

RERVM ET VERBORVM EXEGESIS CRITICA.

1. *Vasor.* Ita in hibrida hac dialecto, quod alias esset *phacu* a *faciendo*. Vox liturgica notissimae significationis, quae et in Fragmentis superioribus non eadem omnino semper occurrit. Legere quoque possis *phasu*, ut supra *phasia* pro *faciat*; nam in praesenti dialecto *c* cum *s* alternat, ut loco suo non semel insinuabitur. Ad rem quod attinet, recte est. Agitur enim primo de votorum solutione, quae votis nuncupandis, de more praeibat.

2. *Verisco.* Idest *veriscu*. Diminutivum *verris*, adeoque *porculus*, *porcellus*.

3. *Treblanier.* Vox nota. *Triplici* vel *tribus*.

4. *Porsi. Pursi.* Metath. *prusi. Pro.*

5. *Ocrer.* In genuino Umbrorum dialecto *ucrer*, de qua abunde in superioribus.

6. *Pehaner.* A *piando*, unde constat, sacra haec *piacularia* fuisse.

7. *Paca.* Possis a *pace* arcessere, critque *le-*

niter, *sensim*. Sed rectius a παχυς, *crassus*, *densus*. Ergo *crasse*, *dense*.

8. *Ostensendi*. *Ustensendi*. Ab *ustitando*. Ergo *ustitandi*.

9. *Eo*. *iso*. Est: *eu isu*. *Bene esto*. Formula apprecationis frequens, in sacris praecipue.

10. *Ostendu*. *Ustendu*. *Ustituto*. Recole n. 8.

11. *Pusi*. *Pusillum*, *paullulum*.

11. *Pir pureto*. Idest: *pir puratu*, ut in superioribus, *igne puro*.

12. *Cehesi*. Imp. mod. a *caedo*. *Caedito*, *abscindito*.

13. *Dia*. *surur*. Lanzio: *iusta superius dicta*. At *dia* est δυο, *duo*, et *surur* est *suras*, de quibus prolixa in Tabulis anterioribus mentio.

14. *Tesonocir*. Idest: *tesunucir*. Lanzio: *decenos*. Vocis thema, *tesenax*, *tenax*, de qua consule dicta alibi supra.

15. *Vehieir*. Lanzio: *vicenos*. Est *vehito*, *adpone*.

16. *Pre verir*. Habui hactenus pro *preverir*, *privatus*, *proprius*. Nunc in Lanzii nostri castra me recipio, volensque lubensque reddo: *ante verres*.

17. *Vesteis*. Aufer digamma praefixum. *Fiet esteis*, quod erit *isteis*, *istis*.

18. *Teio*. *Teiu*. A θυειν.

19. *Subocav*. *suboco*. i. e. *subucav*. *subucu*. *Invocando invoco*. Dicendi modus Scriptoribus sacris perfamiliaris.

20. *Dei Grabovii*. Τοπικον τὸ επιτεθον Iovis, ut et Martis, Bacchi, et Tephrae.

21. *Erer*, qui et *Irer* paullo post. Est ἱερευς, sacerdos, et *Erar*, semoto rhotacismo, est ἱερα, sacrorum *Antistita*, quae et *Praestita* audit, et *Prehabia*. Non bene Lanzio *erer* est *eorum*, et *erar* - *earum*. *Erer nomneper*, sacerdos pro nominibus, tantumdem sonat, ac sacerdos N. cui praecipitur, ut in Dei invocatione suum pro tempore cieat nomen.

22. *Fussei pacersei*. *Futuri vades*, seu conciliatores. *Pacersei* a *pace* iuxta, ac a *paciscendo*, possis derivare.

23. *Arsie*. Ab *ardendo*. Videtur imper. modus. *Accendito*.

24. *Frite*. Quasi *fite*, *facta*.

25. *Orer*. Lanzio idem videtur, ac *ucre* redditque : huius *rei ergo*. Mihi est *urer* ab *urendo*.

26. *Ose*. *persei*. Lanzio : quoniam *ad*. Mihi est *utei*, seu *uti* Latinorum, et *persei*, *pro suo*.

27. *Orto est*, Lanzio : *Ortus est*. Mihi videtur quasi εορτη, *festum*, ad insinuandum, *ignem*

festivum, vel *sollemnem* afferendum, vel accendendum ab una Iovina.

28. *Arsmos. dersecor. Armi desecti.*

29. *Subator. sent.* Recte Lanzius *subacti sint*, sive *molliti*, sed

Pusei. Idest *modicum*, non *tamquam*, ut Lanzius. Idque ea de causa, ut *ne*

31. *Neip. eritu.* Idest: *adurantur*, si vocem ab *urendo* repetas, aut *arefiant*, *exsiccentur*, si lubeat ἀπο τοῦ Ξεραινειν potius auspicari.

32. *Pesetomest. Peretomest.* Utrumque repeto απο τοῦ τεμνειν.

33. *Vaseto est.* Lanzio est : *fatum est*, a *fando.* Mihi est a *faciendo*, quasi *phacetu est* fiat.

34. *Frosetomest.* Lanzio: *intellectum est.* Thema est φρονειν. *Sedulo*, *attente agere.*

35. *Daetomest.* Lanzio : *sensum est.* Repeto a δαιτη, vel a δαις, *cibus*, *epulum.* Ergo ad *epulandum apponatur.*

56. *Nome. nerf.* Ablat. pl. *nominibus*, nempe

37. *Totar. Iiovinar. Omnium Iovinarum.* Vide nunc genitivum pluralem primae declinationis inflexum ad morem Latinorum, quibus iam Euganei assuescebant. Cumque inferius ciatur *Iovina Tribus*, Iovinae hae partes, seu Curiae videntur fuisse Tribus Iovinae, seu Icuvinae.

38. *Arsmo. veiro. pequo. castruo.* Lanzius: *J. agrum virûm. pecus . Oppido.* Nihil a re alienius. Redde : *armo ovis maris castrati fiat.*

39. *Pihatu. futu. Piaculo facto.*

40. *Pase tua.* Pro *pace tua.* Ita *Sere*, et *Chere* pro *Cere*, *Cerere*, quae Lanzii aciem fugit. Formula, de qua loquimur, nihil usitatius in re sacra :

Ne qua ut hanc, tua pace, aram obsidere, Patiare (1).

41. *Comohota. Commota.* De sacrorum novatione, et commotione plura per nos alibi disputata (2).

42. *Tribisine*: Lanzio : *tribuli* victima. Probabilius : *pro tertia* vice.

43. *Tases.* Aliter *tabec.* Ad *haec.*

44. *Pudrovitu.* Lanzius: *sevum. surur. pudrovitu — Sebum super oblationem.* At *pudrovitu* est *purtuitu*, *porrigito.*

45. *Mefa spefa.* Lanzio : *femora assa.* Rectius : *media femora* :

46. *Esono.* Lanzio : *fito.* Est *Esuno.*

---

(1) Platu. Rud. Act. III. Sc. 3.

(2) Com. VI. pag. 39.

47. *Si. comia. trif. Subus incientibus tribus*, de qua voce satis superque in antecedentibus.

48. *Persae. Pereea. Praeterea.*

49. *Setu. Annuo.* horno. Σητες *hoc anno* ab ετος.

50. *Pusepre. Praebeto.* Aliter, *prusebetu*, de qua voce confer dicta superius.

IN TAB. VI. EVGVB. COLVMNAM ALTERAM

EXERCITATIO VIIII.

I. Preverir. tesenocir. buf. trif. fetu Marte. Grabove. ocriperfisiototaper. Iiovina. Arvio. fetu. Vatuo. ferine. fetu. Poni. 2. fetu. Tases. persnimu. prosesetir. Farsio. ficla. Arsveitu. surur. Naratu. puse. pre. verir. treblanir. 3. *post. verir. tesenocir. sif. filiu. trif. fetufiso. Sansie. Veriper. fisiu. totaper. Iiovina. Poni fitu. Persae. fetu. Arvio. fitu.* 4. *surar. Naratu. pusi. pre. verir. treblanir. Tases. persnimu. mandraclo. difue. Destre. habitu. Prosesetir. ficla* 5. *strusla. arsveitu. Ape. sopo. postro. peperscust. Vestisia. et. mefa. spefa. scalsie. conegos. fetu. Fisovi. Sansi* 6. *ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Eso. persnimu. vestisia. Vestis. tio. subocav. subocofiso- visansi. ocriper. fisiu.* 7. *totaper. Iiovina.*

*

Erer. nomneper. Erar. nomneper. Fons. sir. pacer. sir. ocrefisi, tote Iiovine. 8. *Erer. nomne. Erar. nomne. arsir. Tiom. subocav. subocofisovi Sansi. Arsier. frite. subocofisovi. Sansi. suront.* 9. *Poni. persnimu. mefa. spefa. eso. persnimu. Fisovie. Sansie. tiom. esa. spefa. fisovina. ocriper. fisiutotaper. Iiovina.* 10. *Erer. nomneper. Erar. nomneper. Fisovie. Sansie. ditu. ocrefisi. tote. Iiovine. ocrerfisier. totar. Iiovinar. Dupursus.* 11. *peturpursus fato. Fito. perne. postne. sepsesarsite. vov. se. avie. Esone. futu. fons. pacer. pase tua. ocrefisi. tote. Iiovine.* 12. *Erer. nomne. Erar. nomne. Fisovie. Sansie. salvo. seritu. ocrem. fisi. totam. Iiovtnam. Fisoviesansie. salvo. seritu.* 13. *ocrer. fisier. Totar. Iiovinar. nome. nerf. arsmo. viro. pequo. castruo. frif. salva. seritu. Futu. fons. pacer. pase.* 14. *tua. ocrefisi. tote. Iiovine. Erer. nomne. Erar. nomne. Fisovie. Sansie. tiom. esa. mefa. spefa. Fisovina. ocriper. fisiu.* 15. *totaper. Iiovina. Erer. nomneper. Erar. nomneper. Fisovie. Sansie. tiom. subocavfisovie. Frite. tiom. subocav. pesclu.* 16. *semu. vesticatu. atripursatu. Ape. eam. purdinsus. proseseto. Erus. ditu. eno. scalseto. vestisiar. Erus. conegos.* 17. *dirstu. Eno. me-*

fa. vestisia. Sopa. purome. efurfatu. subraspahmu. Eno. Serse. comoltu. comatir. persnihimu. 18. *Capif. purdita. dupla. aitu. sacra. dupla. aitu.* 19. *Preverir. vehier. buf. trif. calersu. fetu. Vofione. Grabovi. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Vatua. ferine. fetu. Herie. vinu.* 20. *herie. poni. fetu. Arvio. fetu. Tases, persnimu. proseseter. Mefa. spefa. ficla. arsveitu. Suront. naratu. pusi. preverir.* 21. *treblanier.* 22. *Post. verir. vehier. Habina. trif. fetu. Tefrei. Iovi. ocriper. fisiu. totaper. Iiovina. Serse. fetu. pelsana. Fitu. arvio. feitu. poni.* 23. *Fetu. tasiis. persnimu. Prosesetir. strusla. Ficla. arsveitu. Suront. naratu. puse. verisco. treblanir. Ape. habina. purdinsus. eront.*

Desunt versus decem.

43. *Vocucom. Iioviu. ponne. ove. furfant. vitlu. toru. trif. fetu. Marte. Horse. Fetu. popupler. totar. Iiovinar. Vatue. ferine.* 44. *fitu. Arvio. fetu. Heri. vinu. heri. poni. fetu. Tases. persnimu. prosesetir. fasio. Ficla. arsveitu. Suront. naratu. puse. verisco. treblanir.* 45. *Vocucom. Coredier. Vitlu. toru. trif. fetu. Honde. Serfi. fetu. popluper. totar. Iiovinar. Vatue. ferine. fetu. Arvio.* 46. *fetu, He-*

ri. vinu. heri. poni ſetu. Tases. persnimu. prosesetir. Tesedi. ficla. arsveitu. Suront. naratu. puse. verisco. treblanir. Enoocar.

47. *pihos. fust. saepo. Esome. Esono. ander. vacose. vasetome. fust. avif. aseriatu. verofe. treblano. Covertu. reste. Esono. feitu.*
48. *Pone. poplo. afero.*

Quid ad haec Lanzius noster? Taedet praefari, sed pace tanti viri, dicam tamen. Laboris improbissimi pertaesus vir summus, et ad finem properans, pleraque fere videtur temere magis adumbrasse, quam serio expendisse. Sed nolo lectori suum praeripere iudicandi ius. Ipsum interim audiamus.

1. Ante verres *fort* denos (*immolandos*) bubus tribus facito Marti Grabovio sacrum pro tota Iovina (gente) larido facito pulte farrea facito.

2. Pane facito. Prosecta e *persnimo*. Prosecato pernam viscera adipem (uti) supra expositum sicuti. ante. verres trinos immolandos.

3. Post verres. denos. Subus lactentibus tribus facito Filio (Iovis) Sanco. sacrificium protota Iovina (gente) pane facito. praeterea facito. Larido facito.

(*uti*) supra expositum. sicuti ante verres trinos immolandos. Prosecta e *persnimo*..... Prosecato viscera.

5. Strebula. adipem. Postquam pars (*victimae*) postica dissecta est. pedem et femur assum scalpto ungue. mactabis. Sanco Iovis filio.

6. sacrificium pro tota Iovina. E *pernismo* pedem (dato sic.) Macte hocce honore. Invoco filium Iovis Sancum sacrificio.

7. pro tota Iovina gente. eorum nomine. earum nomine. uti tu volens sies propitius sies sacrificio *a* tota Iovina gente. eorum nomine.

8. earum nomine. Incende (*dicito.*) Macte hocce honore. Invoco filium Iovis. Sancum. uti supra.

9. Post *persnimum* (*arae inlatum*) femur assum e persnimo (*dic.*) Fili Iovis Sance macte femore asso... sacrificio pro tota Iovina gente.

10. eorum nomine. earum nomine. Fili Iovis. Sance. Imposito sacrificio a tota Iovina. Sacrifictis totius Iovinae gentis. de puris (*placamentis.*)

11. Alteris puris macte esto. (*Macte inquam*) perna postica seorsim usta sine victima... fiasque volens propitius pace tua sacrificio ab tota Iovina (*gente*).

12. eorum nomine. earum nomine. Fili Iovis Sance. salvo satu sacrificii toti Iovinae. Fili Iovis Sance salvo satu.

13. sacrificiorum totius Iovinae nominibus *f*.

arvorum pecoris virûm oppidis satum sospita. fiasque volens propitius pace tua.

14. sacrificio ab tota Iovina gente. eorum nomine. earum nomine. Fili Iovis Sance macte perna assa..... sacrificio.

15. pro tota Iovina gente. eorum nomine earum nomine. Fili Iovis Sance macte hoc honore. Fili Iovis macte esto hocce pesclo dimidio.

16. . . . . . . (*cum*) puro adore. Ubi eam (*pernam*) porrexeris prosecato (*et*) imponitor scalpto pedis ungue.

17. . . . . femur et pes sub tritici furfure.

. . . .

. . . .

18. . . . Supplicamenta duplicato. sacra duplicato.

19. Ante verres vicenos. vitulis tribus lactentibus facito Baccho Grabovio sacrificium pro tota Iovina. pulte farrea facito. sacro vino.

20. sacro pane facito. larido facito. Prosecta e *persnimo*. Prosecato assa femora viscera. adipes (*uti*) supra expositum. sicuti.

21. ante verres trinos immolandos.

22. post verres vicenos. Ovibus puris tribus

facito Tefri Ioviae in sacrificium pro tota Iovina. seminibus (*frugum*) facito. libis facito larido facito pane facito.

23. Prosecta e *persnimo*. Prosecato strebla viscera adipes (*uti*) supra expositum. sicuti ad verres trinos immolandos. Post oves puras porrigendus etc.

. . . .

43. . . , Post. oves furfure aspersas. vitulis tauris III. facito. Marti Terminali facito pro populo totius Iovinae. Pulte farrea.

44. facito. larido facito. vino sacro, pane sacro facito. Prosecta e *persnimo*. Prosecato pernam viscera. adipem sicut ante expositum, uti ad verres trinos immolandos.

45. . . . . Vitulis tauris tribus facito. Hoc (sacro) Servio facito pro populo totius Iovinae. pulte farrea facito. larido.

46. facito. vino sacro. pane sacro facito. Prosecta e *persnimo*. Prosecato viscera XII. et adipem sicuti ante expositum uti ad verres trinos immolandos.

Sistitur hic Lanzius, versus duos insequentes missos faciens. Omnium haec nostra periphrasis.

Ante verres semicoctos bubus facito tribus
Marti Grabovio.
Sacrum sollemne pro Iovina tota.
Larido facito. pulte farrea facito. pane facito.
Post haec pernas prosecato. Partitor viscera.
Appone suras.
Cetera (*dic*) ut ante verres trinos.
Post verres semicoctos, subus lactentibus tribus
Facito Filio Iovis Sanco
Sollemne sacrum pro tota Iovina.
Pane facito. Praeterea facito larido.
Facito suris.
Dic, ut ante verres trinos.
Post haec: pernis, mandragora bipede.
Bene babet.
Prosecato viscera. Carnes hostiarum appone.
Post qua qua versus concidantur.
Tibia posteriore, et medio pede, scalptis
unguibus,
Facito Filio Iovis Sanco
Sollemne sacrum pro tota Iovina esto.

Pernis, tibia postica, his honora invocando
invocans
Filium Iovis Sancum.
Sacrum sollemne pro tota Iovina.
Sacerdo nomine suo, Praestita nomine suo
(*dicat*).
Bonus sis, propitius sis sacro totius Iovinae.
Sacerdos nominandus, sacerdos nominanda,
Ignem admoveat.
Honorent invocando invocantes filium Iovis
(Sancum.
Sit cum pane, et pernis dimidium pedis.
Sit perna. Filium Iovis Sancum honora.
Esto dimidium pedis Filio Iovis (*sepositum*)
Pro sacro totius Iovinae.
Sacerdos nominandus, Sacerdos nominanda
Filio Iovis Sanco absolvant sacrum
totius Iovinae, sacrum omnium Iovinarum.
Purus perpurus esto.
Faciat perna postica seorsum usta, bove, sue,
ove Esuno.
Dic. Esto bonus, propitius pace tua sacro
totius Iovinae.
Sacerd. N. Sacerdos N. Filio Iovis Sanco,
pro satorum incolumitate
sacrum omnium Iovinarum.

Filio Iovis Sanco. Pro satorum incolumitate
sacrum Iovinarum omnium nominibus, armo,
sacro pe-
coris castrati fiat. (*Dic*) pro salvis frugibus
Esto volens propitius, pace tua, sacro
totius Iovinae.
Sacerd. N. Sacerd. N. Filium Iovis
Sancum honorent.
Esto dimidium pedis Filio Iovis (*sepositum*),
Sacrum totius Iovinae.
Dein porrigens prosecato. Sacerdos det
simul crura
postica, scalptis unguibus.
Sacerdos unguium curam habeto.
Una et dimidium cruris postici
subtus selecto sparge furfure, supra adspergito.
Una et Cereri suis incientis
cum mola salsa pernam cape.
Porrecta duplicato, sacra duplicato.
Ante verres afferto. Bobus tribus lactentibus
Facito Baccho Grabovto sacrum pro tota Iovina.
Pulte farrea facito. Sacro vino, sacro pane facito.
Larido facito.
Post haec, pernas prosecato. Dimidium pedis,
exta affer.
Dicatur, uti ante verres trinos.

Post verres afferantur agnina tria.
Facito Tephrae Ioviae sacrum pro tota Iovina.
Cereri facito libo. Facito larido. Facito pane.
Facito post haec pernis. Prosecato carnes hostiarum.
Exta afferantur. Dicatur, uti pro verribus tribus.
Post aguina porrigantur.

. . . . .

. . . . .

Invocato Iove, pane, ove mola conspersa, vitulis tribus tauris facito Marti montano.
Facito pro populo omnium Iovinarum pulte farrea.
Facito larido. Facito sacro vino, sacro pane. Facito post haec pernis.
Prosecato. Partitor. Exta afferantur. Caetera, ut pro porculis tribus.
Invocato Quirino, vitulo tauro trino, facito inde Serfi.
Facito pro populo omnium Iovinarum pulte farrea. Facito larido. Facito sacro vino , sacro pane.
Facito post haec pernis.
Prosecato. Hisce exta addito. Cetera, nt post verres tres.

Una et suum esto piaculum Esunicum.
Esuno ante facito. Fiat ove, vino cum sanguine, porcellis tribus.
Quarto facito Esuno. Facito pane populo etc.

RERVM ET VERBORVM EXEGESIS CRITICA.

Plura iam praeoccupata in antecedentibus, quae idcirco missa facimus. Literarum *c* et *s* frequentissima in hac dialecto commutatio inter sese, quod lectori in primis ob oculos habendum, qui et illud item advertat, fere numquam voces easdem referri cum eodem literarum, sive syllabarum numero, ut nihil de illarum desinentiis dicam, quod nil mirandum in dialectis veterrimis et rudiusculis, nullisque grammaticorum legibus adhuc subactis. Illud praeterea observatum volo: in fragmentis Eugubinis praefigi veluti titulos sacris peragendis. Sic in fragmento hoc v. 2. quem reddidimus: *Sacrum pro tota Iovina*, pro titulo est sacrorum singulorum, et rite faciendorum.

1. *Persnimu.* De multifaria vocis huius ὀρθογραφία satis in superioribus commemoratum. Vocis thema a *perna*, a qua differt, ut singulare a collectivo.

2. *Prosesetir.* Imper. mod. *Prosecato.*

3. *Farsio.* Lanzio: *viscera.* Mihi est *partitor* a *partiendo. Scindito in partes.*

4. *Tases.* Lanzio: *prosecta.* Est *tabec*, *post haec*, de quo satis supra.

5. *Arsveitu. Advehito*, affer, *non adipem*, ut Lanzius.

6. *Surur.* Lanzio: *supra.* Est *sura.*

7. *Naratu.* Litera est: *dic.*

8. *Puse.* πῶς, *uti*, *quomodo.* Formula haec frequens in fragmento, brevitatisque ergo adhibetur.

9. *Sif. filiu.* Optime Lanzius. *Subus lactentibus. Sis* ideo *filiu* ad literam est: *sus cum filiis.*

10. *Persae. Praeterea.* Recte Lanzius. Nam deleto sibilo, fit *perae.* Conf. pag. 88.

11. *Mandraclo. difue.* Διφυης dicta *mandragora*, quod in crura veluti duo divaricetur, quam ob rem *semihominem* illam Columella appellat. Facile in mensa raphanorum vice fungebatur.

13. *Strusla.* Non una in tabulis Eugubinis vocis huius ἡ ὀρθογραφία. Nota vocis potestas. Latinis *Strebulae.* Conf. Verr. Flaccum.

13. *Destre. habitu.* Nihil Lanzius. Precandi formula tritissima. *Bene habeat.*

14. *Ape. sopo. postro. peperscust.* Lanzio : *postquam pars postîca dissecta est.* Litera est : *post superne inferne.*

15. *Scalsie conegos.* Scite Lanzius : *scalpto ungue.* Graecis ονιξ, *unguis.*

16. *Sansi.* Paullo supra *Sansie.*

Vestis. Eliso digammate, *estis*, *istis.*

18. *Erer. nomneper. Erar. nomneper.* Lanzius : *eorum nomine, earum nomine.* Atqui *Erar*, qui post *Irer*, est ἱερευς *Sacerdos.* Ergo *Erar* ἱερεια, mulier sacerdotali praestans dignitate, quae forte eadem cum *Praestita*, seu *Praestata*, et *Praehabia*, seu *Praehubia.* Sensus huius formulae hic est : Ego Sacerd. N. ego Praestita N. Quippe Sacerdotibus pro tempore iniungitur, ut in quibusdam nomen suum cieant.

19. *Poni. Pane*, non *post*, uti Lanzius.

20. *Spefa. Fisovino.* Est victimae pars seposita Filio Iovis, honoris ergo.

21. *Ditu.* Metathesis pro *duit*, *det*, *solvat.*

22. *Totar. Iiovinar.* Breviate pro *totarum Iovinarum.* Ita sensim sine sensu Umbrorum dialecti in romanam declinabant.

23. *Dupursus*, *petupursus.* Lanzius de *puris*

placamentis, *alteris puris*. At haec non ad *placamenta* sunt referenda, sed ad sacerdotem, qui pro *placamentis* facit. *Dupursus* itaque est *depurus*, *purus*, *depuratus*, et *peturpursus perpursus - per - purus*, *purissimus*.

24. *Sepsesarsite*. Lanzio: *ex se ipsa*. Laudo. Est enim *seorsum* a victima *usta*.

25. *Vov. se. avie*. Insalutata haec praeterit Lanzius. Atqui locus est insignis pro *suovetaurilibus*. Siquidem *vov* est *bove*, litera *b* in digamma conversa, et agricolis adhuc - dum nostris *vove* dicitur pro *bue*. *Se*, quod alibi *si*, vel *sis*, est *sus*; et *avie* demum, ut veteres dicebant, est *ove*, sine ulla controversia, ut et *habina* pro *ovina*, seu *agnina*.

26. *Pace tua*. Formula pro sacris usitatissima: *Nosque ut hanc, tua pace aram obsidere Patiare* (1).

27. *Nome. nerf. Nominibus*. Notanda haec desinentia pro numero plurali.

28. *Arsmo. viro*. Lanzius. 9. *arvorum*. Atqui *arsmo* est *armò* sine controversia, et

29. *viro*, quod Lanzio est *virûm*, est *ἱερῷ* idest *sacro*, et

(1) Plaut. Rud. Act. III. Sc. 3.

30. *Pequo castruo*, quod Lanzio est *Oppidum virûm*, habendum pro *agno castrato*; quod nunc primum in sacris Eugubinorum observandum se dat.

Vofione Grabovio. Eboni. i. e. Baccho *Grabovio*, quo adiecto insignitus in Tabulis occurrit *Iupiter* cum *Marte*. Non itaque *Grabovius* hic stat pro *Gradivus*, alioqui cum Marte et Iovem, et Bacchum *Gradivos* haberemus.

31. *Salvo. seritu.* Et infra *salva seritu.* Idem. Pro *satorum incolumitate*.

32. *Dirstu. Cura habeatur.* Confer dicta ad vocem *Dirsas* pag. 97.

33. *Sopa. purome. efurfatu.* Lanzio : sub *tritici furfure*. Litera est: *subtus puro furfure*, et

34. *Subraspahmu* divide, *subra*, *supra*, et *spahmu. Spargito*. Thema videtur σπαω, extendo. Unde vulgare spago, filum nempe crassum e cannabe.

35. *Calersu.* Probe Lanzius: *lactente*.

36. *Habina*, *Avina*, *ovina*.

37. *Serse.* Lanzio : *seminibus frugum*. Est *Cere*, *Cereri*.

38. *Ovi. furfant.* Lanzius : *oves furfure aspersas*. Rectius fortasse : *ove furva*.

39. *Coredier.* Mihi est *Quirinus*.

40. *Tesedi*. Lanzio : XII. et refert ad *viscera*. Mihi est ταις ετι. *His insuper*, quod Latinis passim *hoc amplius*.

41. *Comatir*. *Sumatir*. *Sus mater*, sive *inciens*. Vox composita.

42. *Enoocar*. *Enuucar*. Fortasse : *una et*, *simul*.

43. *Suepo*. *Suus*, *proprius*.

44. *Esomo*. Habuerim pro *Esunico*, et hic agi puto de sacris *Esunicis*, idest *Esuni*, et *Esunae*. Sed primus *Esuno* locus. Hinc

45. *Esono*. *ander*. *vacose*. *Esuno ante facito*. Quippe *vacose* est *facure*, *facito*. Et

47. *Vasetome fust*. Quasi *facetome fust*, fiat.

48. *Aseriatu*. Habeo pro *assirato*, quod apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino, et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem *assir* vocarent.

49. *Verofe*. *Verre*.

50. *Reste*. *Esono*. *Immolato*. *Esuno*. *Reste*. est a ρεδειν, seu ρεζειν, sacrificare. Cui *fetu*. *pane* : *facito pane*.

IN TAB. VII. FRAGMENTUM.

EXERCITATIO X.

1. *Pisi. panupeifratrexs. Fratrus. Atiersir. fusterec. sueso. Fratrecate. portaia. sevacne. Fratrom.* 2. *Atiersio. desenduf. pisi. reper. Fratreca. parsest. Erom. ehiato. ponne. ivengar. tursiandu. Hertei* 3. *appei. arfertur. Atiersir. poplom. andersafust. sue. neip. portust. issoc. pusei. subra. screh to. est.* 4. *Fratrecimotar. sins.* A. CCC.

Haec ita Lanzius.

1. Fratribus universis Fratres Atierii. (*Quum*) fuerit visum Fratriae, supplicamenta annua Fratrum. 2. Atieriatium. XII . . . . inferenda post iuvenci mactationem, sacrificante Herto 3. Appi F. significatur Atieriis (uti) populus intersit . . . . eodem. uti supra scriptum est. 4. A. CCC. Fratriae nostrae.

Haec, e regione, nostra periphrasis,
uti factum hactenus
est.

Singulis, et omnibus Fratribus
Frater Atierias.
Sunto suae cuique Fratriae porrecta annua
Pro Fratribus Atieriatibus XII.
Singulis pro rata Fratria partiatur.
Dimittantur post invencarum immolationem.
Pontifici postidea afferantur (*omnia*),
Atierias pro populo quisque intersit suo,
Ne porrigantur hoc ipso loco,
uti supra scriptum est.
Fratriarum nostrarum An. CCC.

Si quid video, quod dicitur, huiusmodi est. Frater Atierias, quem iure dixeris Max. Pontificem, haec Ateriates singulos, et omnes monitos vult. Porrecta sextantaria, idest pro sexta parte fructuum anni cuiusque, debebantur Fratribus Atieriatibus, adeoque singulis, pro rata sui parte, a Fratria sua distribuenda. Cavetur tamen, ut porrecta eodem et tempore et loco singulis distribuantur. Idque non sine ratione evidenti. Por-

recta quippe huiusmodi non *pecuniae repraesentatae* erant, sed rerum, seu fructuum naturalium, Ateriates inter distribuendorum pro rata cuiusque parte. Quae sane omnia, ut sine publica offensione agerentur, praecipitur

1. Ut Fratres Ateriates post vitularum immolationem, quae facile ultimum erat sacrorum, *abeant*, idest dimittantur.

2. Ut porrecta omnia Atierati Maximo afferantur.

3. Ut pro sua quisque interim Fratria intersit Atierias, quem dicere possis *Curionem*. Haecque omnia tum ad praecavendas suspiciones, cum multo magis ad populi offensionem devitandam, si in eodem ipso loco porrecta viritim distribuerentur, qui sacrorum sine dubio locus erat.

RERVM ET VERBORVM EXEGESIS CRITICA.

1. *Pisi*. Saepius de hac commemoratum, quam repetere quoque possis a *pis pit* Oscorum.

2. *Panupeifratrexs*. Vox e tribus composita. 1. *παν*, *omne*. 2. *upei* pro *ubei*, *ubique*. 3. *fratrexs*, *fratribus*. Dat. plur. cum desinentia graeca, *fratrexsi*, fratribus.

3. *Fusterec*. Lanzio: *fuerit*. Sunto.

4. *Sueso*. Lanzio: *visum*. Est *suae- met*. idest *suae cuique*.

5. *Fratrecate*. Dandi casus. *Fratriae*.

6. *Portaia*. Lanzio: *supplicamenta*. Vox a *porrigendo* derivata. Redde *porrecta*, et

7. *Sevacne*. *Annua*. Rectius *semestria*, id est dimidii anni.

8. *Desendus*. Optime Lanzius: XII. est enim, *decem ultra duo*.

9. *Reper*. *pro re*, ut *totaper pro tota*.

10. *Parsest*. *Parcest*, sive *partest*. *Partitor*.

11. *Erom. ehiatu.* Lanzio : *inferenda.* Consultius in not. *ehiato* repetit ab ἵημι, eo, vel ab ἵεμαι, *mittor.* Ergo *erom. ehiato*, *abeant*, vel *dimittantur.*

22. *Tursiandu.* Nomen. Dele rhotacismum. *Tusiandu* a θύειν *immolare*, *sacrificare.*

13. *Hertei appei.* Lanzius, ut suus est mos, *Herto*, *Appii filio.* Apage. *Hertei* est *Sacerdoti*, qui hic stare videtur pro *Pontifice*, vel *Curione*, et *appi* est *ap*, *ab*, *post*; et *ei*, *postea*, postidea.

14. *Poplom. andersafust.* Lanzius : *uti populus intersit.* Rectius : *populo intersit suo* Atierias.

15. *Portust.* Imper. mod. poss. a *porrigendo.*

16. *Fratrecimotar.* Lanzius: *Fratriae nostrae.* Immo *Fratriarum nostrarum*, est enim gignendi casus pluralis.

17. *Sins.* Si utrumque sibilum dispellas, erit *in*, praepositio notissima. Sin autem nihil movere loco placeat, redde *est* a verbo *sum.* Ergo. *In anno* CCC. vel *est annus* CCC.

Duo notanda, finemque faciam. 1. Voces *Erech*, et *Eruch.* p. 9. fortasse rectius pro *sacerdote* accipiendae.

APPENDIX.

Vixdum haec absolveram, cum ad manus venere *Veterum Oscorum inscriptiones* , et *Tabularum Eugubinarum latinae interpretationes* Iannellii , viri sine controversia penitissimae eruditionis , laborisque ultra quam credi queat , patientissimi. Hic pro Oscis, Eugubinisque inscriptionibus explicandis unicam patere viam sine haesitatione pronuntiat, *Lexicon linguae Semiticae* (1), caeterosque omnes, quotquot sunt, quotve fuere , qui aliam sibi viam insistendam duxerunt, omnes ad unum fastidit, et odit. Via, cui ipse insistit, Lexico suo Semitico unico fretus , haec est. Vocem quamvis sive Oscam, sive Eugubinam, in syllabas suas minutatim concidit, quas ipse *radices* appellat, Lexicique huius Semitici ad trutinam expendit , aestimatque.

Utrum methodo hac sua collega noster , quo intendit, collineaverit, viderint viri docti, quorum iudicio volens lubensque acquiescam. Pauca nunc ad rem hanc quod attinet, seligam ex plurimis, quae mihi negotium facessunt.

(1) Pag. 67. et 187. n. XIII.

I. Radices has Semitici Lexici, quae vel paucis contineri literis possunt, nonne in linguis universis, sive demortuis, sive viventibus, quas vocant, *μεροπων ἀνθρωπων*, deprehendere licet? Igitur eadem methodo omnium expeditissima, si cui posthac in mentem veniat, linguas quascumque explicandas, (an intervertendas magis?) adgreditor, et quibus volupe est, venditet. De Semiticis unis, reponet vir Semiticus, se intelligi velle. Teneo. Ergo

II. Regionum nostrarum primi advenae aut Semitici omnes, aut Semitico uno utebantur idiomate. At nostri, consentientibus omnibus, non Semi, sed Iapeti genus fuere. Qui non ante Babelicam confusionem, quando homines labii erant unius, sed longe post, perfecta iam linguarum confusione, nec per saltum, sed lentis incertisque itineribus, loca haec nostra insedere (1). Quid nunc Semiticae linguae cum patrum nostrorum originibus commune intercedit?

III. Viri prudentissimi, Semiticarumque dialectorum consultissimi iudicio, radicum, quarum adipem tanto studio scrutatur Collega noster, pauca admodum ex vero sunt expositae. Verum

(1) Vid. Gen. cap. X. et XI.

sint per nos verissimae omnes, atque auspicatissimae. Profecto nusquam ex iis quidquam extundas, quod sponte, humanoque more fluit: Sed omnia ex adverso ita congesta videntur, ut per longas ambages, labyrintosque meros id demum per vim manifestam extorqueatur, quod animo ante utcunque, et quodcunque fuerat praeconceptum.

IV. Fragmento Eugubino omnium postremo, hoc propositum Iannellius pronuntiat, ut moneantur Fratres Atierii, se a Fratria fore expellendos, si Tabulas hasce scite, eleganterque, ut ipsi sapiunt, concinnatas, *populo*, *plebique revelassent*. Quae cum ita dicit vir doctus, evidens est, Tabulas Eugubinas pro Libris illi Sybillinis Umbrorum habitas. Cui viri doctissimi persuasioni antequam occurratur, tabularum in primis dimensiones ob oculos ponendae, prout a Lanzio accepimus.

Tab. I. et II. in long. palm. 1. unc. 10.
In lat. p. 1. unc. 3.

Tab. III. palm. 2. eoq. amplius. Pal. 1. unc. 7.
Tab. IV. palm. fere 3. per palm. 1. unc. 9.
Tab. V. palm. 2. unc. 2 $\frac{1}{2}$ per pal. 1. unc. 9 $\frac{1}{2}$
Tab. VI. palm. fere 4 per 2 $\frac{1}{4}$, paulloque amplius.

Tanta nunc tabularum moles a *populi*, *plebisque oculis*, *atque attactu* religiose arcenda? Si de arcanis mysteriis res erat, haec non scripto, sed auribus, signisque conventis fuerant committenda. Ne plura. Ipso consentiente Iannellio, in re prorsus *liturgica* versamur, deque sacris agitur qua solvendis, qua nuncupandis Eugubinorum; idque non semel, sed bis in anno quolibet, et sollemniter, et coram populo, plebeque universa. Ergo hoc ipso palam omnibus constare oportebat, ut factum Romae novimus a Fratribus Arvalibus, qui singula anni cuiusque acta tabellis lapideis consignabant. Pauca nunc mecum propius cum Collega nostro amiciter sunt transigenda.

In Com. XI. actum per nos fuerat de titulo quodam Osco in fundo paterae Saticulanae, nec

pol satis ad legendum expedito, quem ita vertendum duximus, et non iurati, ut mos est noster :

Viliae Veneri ego huc sacra sim.

Quid in his absurdum, inauditumque, quo aures offendantur? Ipse interim, his nostris recitatis, postquam benigne fuerat praefatus, titulum *editum modo nostro* (perverso nempe semper), addit, *quae quid sibi velint, dicet, ut puto, alibi.* Lepide satis, festiveque. Dicam nunc, sed sibi soli, quando quae alibi dicta, ipse se nescire profitetur, *quid sibi velint.*

Vilia gens, aut *Villia*, adde, si velis, et *Velleiam*, eccui inauditae? *Vilia* igitur nomen est mulieris, cuius facile patera pro re sacra in usu erat : *Velenez*, vel est *parva Venus*, quo nomine decorabatur *Vilia*, aut *Venus* ipsa, cui *Vilia* facere consueverat. Ipse nunc doceat nos, eccur in hoc titulo pro *Vilaeis* dederit *Bilaeis.* Immo in Etruscis omnibus, Oscisque monumentis literam Ɪ semper cum B commutat, quasi priore illa populus uterque caruisset. Quae cum ita sint, plane non video, ecquo nos *literarum hibridarum* crimine insimulet, et quidem *more* semper, *modoque nostro.* Edicat, quaeso, ubinam in his dolo nostro, sive bono, sive malo,

peccatum, *ibridismo* (sit voci venia) ante literarum definito. Nec his contentus , quo res nostras, uti et caeterorum, attenuet, imponit interdum nobis. In parte antica Cippi Osco-abellani in fine v. 4. legitur : *mephiisi* , et initio vers. 5. *ist*. Quae pro vocibus duabus a nobis habitae, dividendae sic : *mephiis iist* : hoc est : *Medius* , (nempe *terminus*) *est* , vel *stabat*. Namque omnibus hactenus persuasum fuerat, in Cippo nostro agi de *terminis*, qui Abellanos inter, Nolanosque fuerant restituendi, ut nobis visum. Quid ad haec Iannellius? ipsum audiamus (1) : *Mephi*, non *mephust*, *ut dedit Guarinius*. Quam porro ille voci *Mephi*, potestatem tribuit? Et ipsum audiamus : *quae hic*, *quae hoc loco*, *hac sede posita sunt*. Sed ab his supersedisset fortasse, vocisque significationem germanam attigisset, si exuto animo praeiudiciis , v. 31. et 32. perpendisset , qui tales sunt :

Isat. eai. mephiai. teremen iustaiet, quae vel caeci vident ita esse reddenda : *Aequi hi medii termini* , *et iusti*.

Adeatur Comm. nostrum XIX. in quo secundis curis actum diligentius est , cum de parte

(1) Com. XIX. an. 1845.

Cippi antica, tum de postica multo magis, in qua praeter Abellanos, Nolanosque, cientur Galatui, qui populi *trikei*, terni (non bini, ut persuasum Iannellio est) et *keketagui* dicuntur, idest *contigui*. Et fuere re ipsa tales, et sunt aduc- dum. Ex quibus evidens est, Cippo huic longe aliud fuisse propositum, quam quod noster tanta cum fiducia statuit, et quidem more suo, modoque perpetuo, si verbis suis uti nobis vel semel liceat.

VI. In Com. XIII. titulum Oscorum Atinatium recitavimus, qui est huiusmodi :

ΓA. VI. ΓACVIES MEDIS.
VESVNE. DVNOM. DED.
CA. CVMNIOS. CETVR.

Quem ita reddidimus :

Pacuvii fil. Pacuvius Meddix
Feroniae. don. ded.
Et. omnis. populus.

At Iannellius priores voces duas puncto inter se disterminatas, in unam compingit, redditque *Gavius*. At si *Gavium* quaerebat, nec omnium omnia fastidiret, vidisset in voce KAAVIIZ tituli Nolani, de quo actum in Com. eodem (1). ΓΑ autem est PA. *Pacuvius* non *Gavius*, quod litera G, ipso fatente, Oscis, Eugubinisque penitus ignota (2). Idque et ipse agnoscit in voce tertia huius eivsdem epigrammatis, quam reddit *Pacuvius*, non *Gacuvius*. Tertium denique versiculum ita iure suo et corrigendum, et legendum praecipit:

CACVMNIO. SCETVR.

Quo facto, in scenam de caelo delabitur *Iupiter Cacumnius servator*. Quippe cui *cetur*) qui ipsissimus est Latinorum *coetus*) est primo *scetur*, deinde *sceter*, *servatus*, *reservatus*, *reliquus*. Mirandumque quod in hoc eodem titulo DVNOM. DED. pro Latinis habet, sicque Latini ipsi facti iam *Semitici*. Ad haec: *Feroniae*, non *Iovi*, titulus inscribitur; et si utri-

---

(1) Pag. 31.
(2) Pag. 106.

que ponendus fuisset, Feroniae Iupiter praemittendus fuerat, quod secus in titulo factum est.

Ex his, quae hactenus disseruimus, de duplici voce CA. CVMNIOS, nullam fieri fraudem volumus inscriptioni Sabinae, quam refert Lupus, et in qua legitur IOVIS CACVNIVS; neque huic alteri, etiam Sabinae, in qua habetur IOVI CACVNIO (1). Illud unum propositum nobis est, ut ab Antinenisis titulo *Iovem* hunc arceamus, quod evidenter patet cum ex dictis, tum ex hoc, quod in titulo nostro est: *Cacumnios*, non *Cacunius*. Immo *Iovem* hunc *Cacunium* libenter ita dictum arbitramur a praecelsis montium *cacuminibus*, quibus ille praesidebat. Sed et in hoc proxima vocis origo non a dissectis Semiticis dictionibus, sed ab oscorum fontibus sponte sua fluit, a quibus τo *cacumen* ad Latinos est derivatum.

VII. De Cippo Amiternino, cuius initium est: MESENE. FLVSARE, ita Collega noster statuit: *Cippus discernens agros*: *Partem tributam iudicans Populo fontis Aterni*, *et Populo Hireti* (2). Conferat, si illi vacat, hanc suam cum

(1) Act. Acad. rom. Arch. Fr. I. an. 1821.

(2) Pag. 156.

nostra interpretatione superius allata (1) et iudicet ipse per se, aut viris doctis iudicandum permittat, si hoc liceat pace sua.

Haec, aliaque horum similia mihi recogitanti saepius addubitare contigit, utrum inter homines homo agerem, an ego cum ipsis, aut ipsi mecum somniarent. Sed rem altius repetens intellexi, id non sine consilio factum. Iam dudum enim vir doctus auso plusquam gigantaeo historiae in universum scientiam quamdam *a priori* molitus erat, qua *intellectu quasi puro* (sunt ipsiusmet verba) omnia pervideri possent, et quae fuere, et quae deinde sunt futura. Quam metam denique perspexit, se non alia attingere ratione posse, nisi methodo hac sua in vetustissimarum gentium omnium sese regiones insinuasse; mores, institutaque investigasse; singula demum et minutissima quaeque in numerato habere, videretur.

Hic nunc *vir*, *hic ille est*, qui de nobis loquens, nostrique, de more, misertus, ait: *Dis*, Guarinius, *omnibus infensis?*

Dis egon infensis? quibus at? fas esto rogare.
Dicam ego, si nescis, sit modo pace tua.

(1) Exercit. I. p. 23. et seqq.

Nempe quibus; cum sint aures, audire negatum est,
Nec montes oculis cernere posse datur.

Ecquis enim crediderit, cum in Oscorum, Vmbrorum, Etruscorum, quae supersunt adhuc, monumentis generis cuiuscumque tot passim obvient voces Latinae, Graecaeque merae putae: cum caeterarum plaeraeque fere omnes tales se praebeant, ut in his nucleus saltem utriusque, aut alterutrius dialecti in oculos incurrat; hunc unum serio, pertinaciterque affirmare, nihil se tale intueri, sed Semitica omnia sonare, olere, sapere? quae cum ita dicimus, non sic accipi volumus, quasi Osca, vel Hetrusca dialectus ex foeda latini idiomatis corruptione sint ortae. Immo ex adverso romanum idioma, utpote tempore posterius, ex variis veterum Italorum dialectis sensim sine sensu prognatum statuimus, quod deinde temporis progressu auctum, absolutum eam induit formam, qua nihil gravius, nihil elegantius. Sed communem tantum harum omnium fundum indigitare, animus fuit, et in mentem revocare, hoc unum, more, modoque nostro, ut de humanis cum hominibus tractantes humane loqueremur, humane saperemus. Quae si cui molesta, fortasse fastidiosaque videntur, ad paucula,

quae more nostro subiungimus, animum paullisper advertito, dictaque hactenus pro non dictis habeat. Nugas quippe meras reputamus omnia

1.

Templum Virgini. Deipar. in. caelum. assumptae
Nuncupatum,
Pluribus. abhinc. annis. quaqua. versus. fatiscens
Reficiundum. suscepit. anno 1843.
Ioseph. Palma. Antistes. desideratissimus.
Sed. morte. interceptus
Vix. inchoatum. reliquit.
Opus. resumpsit
Ioseph. Maniscalchius
Siculaq. alacritate
Sua. Fideliumq. stipe. conlata
Octavum. intra. Pontificat. sui. mensem.
Absolvit. ornavit
Sollemniterque. lustratum
Pristino. cultui. restituit. d. 22. Ian. an. 1845.

In hominem voracissimum.

Vnus, quod stomachi nequeunt vel mille,
vorasti.
Hic furor est stomachi, prodigiumque merum!
Quid mirum, dapibus si tot, tantisque gravatus,
Pleraque cruda vomis, caetera cruda cacas?

3.

Pro Cenaculo Fratrum Minimorum.

Esurialia inter FF. nostrorum fercula,
Cena vitae aeternae
Iugiter menti recurrat
Dedic. d. 7. Sept. an. 1845.
Iussu
RR. P. Montenerii. Ord. Corr. Gen.

	Er.	Cor.
Pag.	10. v. 12. habeat	Habeant
	13. v. 3. Iovino	Iovina
	16. v. 25. Ciatur	Cieatur
	27. v. 5. Sacerdo	Sacerdos
	28. v. 21. Graborto	Grabovio
	44. v. 5. 20	2
	45. v. 2. et	etsi